



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 9011888X

§. 31. Synodi Diœcesanæ Culmensis decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

Denique die septima Decembris ^{Sæc. XVII.}
 Sacra Rituum Congregatio decidit, ^{A. C. 1641.}
 quod non liceat in media nocte Nativitatis Domini, post Missam decantatam, celebrare successive alias duas Missas, & in eis sacram Communionem exhibere | Fidelibus illam deposcentibus, sed utrumque omnibus prohibitum sit.

§. XXXI.

Synodi Diœcesanæ Culmensis decreta.

Die duodecima Junii hoc Anno Casparus Dzialynskius Culmensis & ^{Hartzh. t.9.}
 Pomesaniæ Episcopus suam habuit Synodum Diœcesanam, in qua præprimis suorum Prædecessorum sanctiones jam antea ad Cleri populique reformationem factas integre servari præceptum est, prohibitumque, ne Confessarii deinceps pro poenitentia Missas perse celebrandas Laicis poenitentibus injungant. Quoniam vero multis in locis Ecclesiæ belli præteriti injuria ad eam redacti fuerunt inopiam, ut nequidem Sacerdos ali valeat, hinc Episcopus juxta privilegium Leonis X. Anno 1515. pro Regno Poloniæ concessum indulgit, ut unus Sacerdos in uno die duas Missas in duabus Ecclesiis celebrare quidem valeat, sed duntaxat in festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Pascha-

Sæc. XVII. schatis, Pentecostes, Assumptionis & A. C. 1641. Purificationis B. V. S. Joannis Baptistæ, Petri & Pauli, Sanctorum omnium & Defunctorum Commemoratione. Interminata etiam anathematis poena cunctis Regularibus inhibita, ne in Oratoriis privatis aut Ecclesiis vacantibus, in quibus Sæculares jus Patronatus prætendunt, Missam celebrare, Verbum Dei prædicare, aut Sacramenta administrare absque speciali Episcopi licentia præsumant. Extirpavit insuper Synodus tanquam pravam, superstitiosam, & a Diabolo ad retrahendos homines a cultu Divino inventam consuetudinem, qua nonnulli venam judgmentis die sancti Stephani aperiri curant. Denique præcepit Synodus, ut pro senibus & pauperibus Clericis Domus erigantur, & Culmensis Schola pristino statui restitatur.

§. XXXII.

Scriptores Catholici hoc anno defuncti.

*Dupin Nouv.
Bibl. Siecl.
XVII.*

Paucos ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno obiire, recensere volumus, & quidem I. Septuagenario major decessit Joannes Cordesius Lemovicensis Canonicus, qui non modo Historiam Camilli Portiæ de Neapolitanis